etiam sæculo factum scimus ab iis, qui hostem somno vinoque vel lacte sepultum perdere destinabant.

21. TULIT ITAQUE JAHEL UXOR HABER CLAVUM TABERNACULI, — unum scilicet e paxillis ferreis, quibus in terra tabernaculum funibus extentum figitur, eumque malleo per tempora et cerebrum Sisaræ adegit, itaque dormientem occidit: in temporibus enim et cerebro est vitalitas sensus et motus : quare illa si vulnerentur et transfigantur, statim homo deficit et emoritur. Vere S. Ambrosius, lib. *De Viduis* : « Debbora, ait, prælii prophetavit eventum, Barac justus produxit exercitum, Jahel cepit triumphum. »

Dices : Cur Jahel manu sua occidit Sisaram, et non exspectavit Barac, ut eum illi traderet? Respondeo, quia periculum erat in mora, ne scilicet Sisara, si viveret, experrectus fugeret et effugeret, rursumque bellum renovaret. Prudenter ergo occasionem cædis arripuit, ne illa elapsa frustra eam requireret. « Sæpe in bello parvis momentis magni, ait Cæsar lib. I *Belli civilis*, casus intercedunt. » « Itaque armatus intentusque sis, inquit Livius, lib. XXII, ut neque tuæ occasioni desis, neque suam hosti des (1). »

QUI SOPOREM MORTI CONSOCIANS DEFECIT ET MORTUUS EST. — Septuaginta : *Et ipse stupefactus* (Basileensis Codex habet, *palpitavit*), *obtenebratus et mortuus est*. Philo, vel potius Pseudophilo, quem aliqui putant Joannem Annium Viterbiensem, in *Tradition. Biblicis*, addit : « Et cum moreretur, dixit Sisara ad Jahel : Ecce dolor accepit me, Jahel, et morior tanquam mulier. Et dixit ad eum Jahel : Vade, gloriare apud patrem tuum in inferis, et dicito quoniam incideris in manus mulieris. » Sed hæc ad verisimilitudinem dicta effictaque, potius quam a priscis historicis accepta videntur, imo repugnant Hebræo et versioni Vulgatæ, quæ ait : *Soporem morti consocians;* dormiens ergo Sisara in sopore suo mortuus est.

Allegorice Debbora et Jahel repræsentant Dei Ecclesiam, et tropologice animam sanctam, fortem et pro Deo zelantem; Barac Synagogam, Sisara diabolum, lac orationem, qua diabolus quasi consopitur et enervatur. Audi S. Ambrosium, lib. *De Viduis*, post medium : « Et ideo Sisaræ sitis lactis poculo restinguitur, quia oratione superatur. Quod enim nobis salutare ad escam, hoc adversariæ potestati lethale ad infirmitatem. Arma Ecclesiæ fides, arma Ecclesiæ oratio est, quæ adversarium vincit. Ergo secundum historiam ad provocandos animos feminarum, femina judicavit, femina disposuit, femina prophetavit, femina triumphavit, et prælialibus intermixta copiis, imperio viros docuit militare femineo. Secundum mysterium vero, fidei militia, Ecclesiæ victoria est. Non ergo habetis quod per naturam vos excusetis feminæ. Non habetis viduæ quod ad infirmitatem sexus, aut ad amissionem subsidii maritalis mobilitatem vestram referre possitis. Satis unicuique præsidii est, si virtus animi non desit. » Et S. Augustinus, libro XII *Contra Faustum*, cap. XXXIII : « Quæ, inquit, est illa mulier plena fiduciæ, hostis tempora ligno transfigens, nisi fides Ecclesiæ cruce Christi regna diaboli perimens? »

Audi et Origenem, *hom.* 5 : « Jahel interpretatur ascensio (a rad. עָלָה *ala*, id est ascendit, alioqui *Jahel* Hebraice idem est quod *damula* aut *cervus*, ait Pagninus) : quia revera non est alia ascensio qua ascendatur ad cœlum, nisi per Ecclesiam multiformis sapientiæ Dei. Ipsa est ergo quæ, dum a corporalibus ad spiritualia, et a terrenis ascendit ad cœlestia, interfecit Sisaram, qui carnalium vitiorum, et animalis vel stolidi hominis tenet figuram: quia Sisara interpretatur visio equi, de quo ait *Psal.* XXXI, 9 : Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus. Palo (paxillo sive clavo ferreo) ergo eum interfecit, id est, ligni crucis acumine et virtute eum prosternit, idque in maxilla, quia illud os quod de carnalibus loquebatur, ligno crucis confoditur et terebratur. » Crux enim docet carnis mortificationem æque ac linguæ.

Denique Jahel fuit typus B. Virginis; de ipsa enim dicitur *Cant.* VIII, 5 : « Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum. » Ipsa est damula gratiosa, imo omni gratia plena, ipsa est quæ contrivit caput serpentis, hoc est diaboli, *Gen.* III. Audi S. Bernardum, serm. 2 *Super missus est* : « Cui hæc servata victoria, nisi Mariæ? ipsa procul dubio caput contrivit venenatum, quæ omnimodam maligni suggestionem tam de carnis illecebra, quam de mentis superbia deduxit ad nihilum. » Et post pauca : « Hanc requirebat Salomon, cum vehementer admirans dicebat : Mulierem fortem quis inveniet? et ita videbatur congruere, ut qui vicerat per feminam, vinceretur per ipsam. »

(1) Patriæ causa salutis et gloriæ vis amoris hospitalitatis officia erga gentis suæ oppressores et tyrannos superest.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Debbora cum Barac de prostrato Sisara canit epinicium.

Canticum hoc non tantum poeticum, sed et propheticum spiritum redolet; quare a Debbora prophetissa compositum videtur, quæ deinde cum Barac illud publice cecinit. Ita Abulensis, Dionysius, Arias, Cajetanus, Serarius, Salianus et alii.

Quinque ejus sunt partes : prima, vers. 3, laudat Deum velut primum tantæ victoriæ auctorem; secunda, vers. 9, laudat Nephtalitas, Zabulonitas, Issacharitas et alios, omnesque creaturas, quæ Deo victori cooperatæ sunt; tertia, vers. 17, culpat Galaaditas, Danitas et cæteros, qui a bello hoc metu Sisaræ se subduxerunt; quarta, vers. 24, benedicit Jahel, quæ Sisaram occidit; quinta, vers. 28, poetice repræsentat ululatum matris Sisaræ.

1. Cecineruntque Debbora et Barac filius Abinoem in illo die, dicentes (1) : 2. Qui sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum, benedicite Domino. 3. Audite, Reges, auribus percipite, Principes : Ego sum, ego sum quæ Domino canam, psallam Domino Deo Israel. 4. Domine, cum exires de Seir, et transires per regiones Edom, terra mota est, cœlique ac nubes distillaverunt aquis. 5. Montes fluxerunt a facie Domini, et Sinai a facie Domini Dei Israel. 6. In diebus Samgar filii Anath, in diebus Jahel, quieverunt semitæ, et qui ingrediebantur per eas ambulaverunt per calles devios. 7. Cessaverunt fortes in Israel, et quieverunt, donec surgeret Debbora, surgeret mater in Israel. 8. Nova bella elegit Dominus, et portas hostium ipse subvertit : clypeus et hasta, si apparuerint in quadraginta millibus Israel. 9. Cor meum diligit principes Israel : qui propria voluntate obtulistis vos discrimini, benedicite Domino. 10. Qui ascenditis super nitentes asinos, et sedetis in judicio, et ambulatis in via, loquimini. 11. Ubi collisi sunt currus, et hostium suffocatus est exercitus, ibi narrantur justitiæ Domini et clementia in fortes Israel : tunc descendit populus Domini ad portas, et obtinuit principatum. 12. Surge, surge, Debbora, surge, surge, et loquere canticum : surge, Barac, et apprehende captivos tuos filii Abinoem. 13. Salvatæ sunt reliquiæ populi, Dominus in fortibus dimicavit. 14. Ex Ephraim delevit eos in Amalec, et post eum ex Benjamin in populos tuos, o Amalec : de Machir principes descenderunt, et de Zabulon qui exercitum ducerent ad bellandum. 15. Duces Issachar fuere cum Debbora, et Barac vestigia sunt secuti, qui quasi in præceps ac barathrum se discrimini dedit : diviso contra se Ruben, magnanimorum reperta est contentio. 16. Quare habitas inter duos terminos, ut audias sibilos gregum? diviso contra se Ruben, magnanimorum reperta est contentio. 17. Galaad trans Jordanem quiescebat, et Dan vacabat navibus : Aser habitabat in littore maris et in portubus requiescebat. 18. Zabulon vero et Nephtali obtulerunt animas suas morti in regione Merome. 19. Venerunt reges et pugnaverunt, pugnaverunt reges Chanaan in Thanach juxta aquas Mageddo, et tamen nihil tulere prædantes. 20. De cœlo dimicatum est contra eos : stellæ manentes in ordine et cursu suo, adversus Sisaram pugnaverunt. 21. Torrens Cison traxit cadavera eorum, torrens Cadumim, torrens Cison : conculca, anima mea, robustos. 22. Ungulæ equorum ceciderunt, fugientibus impetu, et per præceps ruentibus fortissimis hostium. 23. Maledicite terræ Meroz, dixit Angelus Domini; maledicite habitatoribus ejus, quia non venerunt ad auxilium Domini, in adjutorium fortissimorum ejus. 24. Benedicta inter mulieres Jahel, uxor Haber Cinæi, et benedicatur in tabernaculo suo. 25. Aquam

niter censent Interpretes Debboram esse solum hujus cantici auctorem.

petenti lac dedit, et in phiala principum obtulit butyrum. 26. Sinistram manum misit ad clavum et dexteram ad fabrorum malleos, percussitque Sisaram quærens in capite vulneri locum, et tempus valide perforans. 27. Inter pedes ejus ruit, defecit, et mortuus est : volvebatur ante pedes ejus, et jacebat exanimis et miserabilis. 28. Per fenestram respiciens, ululabat mater ejus, et de cœnaculo loquebatur : Cur moratur regredi currus ejus? quare tardaverunt pedes quadrigarum illius? 29. Una sapientior cæteris uxoribus ejus, hæc socrui verba respondit : 30. Forsitan nunc dividit spolia, et pulcherrima feminarum eligitur ei; vestes diversorum colorum Sisaræ tradantur in prædam, et supellex varia ad ornanda colla congeritur. 31. Sic pereant omnes inimici tui, Domine : qui autem diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita rutilent. 32. Quievitque Terra per quadraginta annos.

2. QUI SPONTE OBTULISTIS DE ISRAEL ANIMAS VESTRAS AD PERICULUM (eundo ad prælium formidolosum contra Sisaram potentissimum), BENEDICITE DOMINO, — qui nobis illustrem hanc de Sisara dedit victoriam, Hebraice est בפרע פרעה *biphraa perahôt*, quod primo Pagninus, Cajetanus, Arias et alii vertunt, *dum ulciscitur ultiones in Israel, dum sponte se offert populus, benedicite Domino*. Ita Complutensia. Verum Romani Codices et Septuaginta habent, *revelata est revelatio in Israel dum sponte offerret se populus, benedicite Dominum*.

Chaldæus more suo paraphrastice : « Quando rebellarunt domus Israel, venerunt super eos gentes, et expulerunt eos de urbibus suis; et quando redierunt ad faciendum legem, fortificati sunt super eas : ita super ultione fractus est Zizara, et super signum et liberationem, quæ facta est Israeli, » etc.

Genuine tamen sic ex Hebræo vertas, *in liberando libertates in Israel, in spontanee offerendo se populum*, hoc est qui liberastis et plene libertati restituistis Israel, spontanee vos offerendo certamini cum Sisara : « Benedicite Dominum, » qui vos de eo triumphare fecit. Hebræum enim פרע *para* significat nudare, solvere, liberare.

3. AUDITE, REGES, — mirabilia hæc Dei prælia, ut eum agnoscatis, timeatis et colatis.

Tropologice Origenes, *hom.* 6 : « Exulta, populo Dei, audiens tuæ nobilitatis insignia. Tu vocaris ad audiendum verbum Dei, et non ut plebs, sed ut rex vocaris. Tibi enim dictum est : Genus regale et sacerdotale, populus in acquisitionem. Ideo quia vos reges estis, merito Rex noster Christus Dominus Rex dicitur regum, et Dominus dominantium. » Modum deinde quo rex fias docet : « Regem te omnium esse facit, si regnet Christus in te. Rex namque a regendo dictus est. Si ergo et in te animus regnat et corpus obtemperat, si concupiscentias carnis sub jugum imperii tui mittas, si vitiorum gentes sobrietatis tuæ frenis aretioribus premas, merito rex diceris, qui te recte regere noveris. Cum ergo talis fueris effectus, digne ut rex ad audienda divina verba vocaberis. »

DOMINE, CUM EXIRES DE SEIR, ET TRANSIRES PER REGIONES EDOM, TERRA MOTA EST, COELIQUE AC NUBES DISTILLAVERUNT AQUIS. — Séir idem est quod Edom, puta Esau, qui habitans in Idumæa illi nomen suum indidit.

5. MONTES FLUXERUNT A FACIE DOMINI, ET SINAI A FACIE DOMINI DEI ISRAEL. — « Et Sinaï. » Τὸ *et* significat, *id est*, tantum enim in Sina legimus visa fulgetra, tonitrua, pluvias, terræ motus. Vide dicta *Exodi* XIX, 18. Unde et poetica elegantia montes fluxisse dicuntur, quia monti Sina fumanti, et quasi tremens ex reverentia et metu Dei ibidem legem dantis, Mosi et Hebræis videbatur quasi fugere, solvi et colliquescere. Est catachresis : eadem phrasis est *Psalm.* LXVII, vers. 8, quæ ex hoc loco sumpta est.

Alludit ad *Num.* X, 33, ubi Moses, cum movenda essent castra, orabat Dominum supra arcam in propitiatorio residentem : « Surge, Domine, et dissipentur inimici tui; » et *Deuter.* cap. XXXII, 2 : « Dominus de Sina venit, et de Seir ortus est nobis. » Vide ibi dicta.

Sensus ergo est, *q. d.* Quando nobiscum, o Domine, cum arca, super eam quasi solium tuum præsidens, perambulabas in deserto, cui adjacet Seir sive Edom, hoc est Idumæa, ac præsertim in monte Sina, tunc ibidem tuam Mosi et Hebræis patribus nostris præsentiam, potentiam, providentiam et magnificentiam ostendisti per procellas, tonitrua, terræ motus et fulmina, quibus Idumæos aliasque gentes vicinas ita perculisti, ut non auderent nobis resistere, eo quod cernerent te pro nobis pugnasse contra Pharaonem in mari Rubro, ac in dies pro nobis pugnare et nos protegere. Refricat Debbora pristina Dei beneficia et portenta Israeli per Mosen exhibita, ut ostendat Deum illa nunc in hac victoria portentosa renovasse, ideoque continuare suam erga Israelem curam et beneficentiam; quare dignum esse, ut ipse a se et a cæteris Israelitis omni ævo laudetur et glorificetur : ita Lyranus, Serarius et alii; Abulensis tamen, *Quæst.* II, hæc proprie ut sonant accipit, censetque illa ita prorsus ut hic dicitur contigisse, licet in Pentateucho non sint scripta. Vide dicta *Num.* XXI, vers. 14.

6. IN DIEBUS SAMGAR FILII ANATH, IN DIEBUS JAEL QUIEVERUNT SEMITÆ, ET QUI INGREDIUNTUR PER EAS AMBULAVERUNT CALLES DEVIOS. — *q. d.* Ante hoc bellum cum Sisara feliciter confectum, omnia itinera erant ab hostibus insessa et infesta, ideoque per obliquas, invias et occultas semitas proficisci oportebat, ne quis in eorum manus incideret. Licet enim Samgar dicatur fuisse Judex, tamen exiguo is fuit tempore, et liberationem Israelis tantum orsus est, sed eam perfecerunt Debbora et Barac hoc prælio et victoria. Unde et tempus quo præfuit Samgar sub annis Barac complectitur hic vers. ult.

Sed cur Jahel jungitur cum Samgar? Suspicantur aliqui Jahelem fuisse uxorem Samgar, qui idem sit cum Haber : unde eo mortuo Jahelem fuisse viduam et præfuisse toti domui. Samgar enim videtur fuisse Cinæus, qualis erat Jahel. Unde *Samgar* Hebraice idem est quod *advena illic*, quales erant Cinæi.

Verum hoc plane incertum est. Unde certius dicas Jahelem hic induci, eo quod primaria inter Cinæos erat femina, ad quam proinde Cinæi confluerent, sed difficulter et occulte ob vias ab hostibus insessas, ut dixi. Significat ergo Jahelem non potuisse vias securas facere et mala populi avertere, donec Debbora prophetissa instinctu Dei Barac et Hebræos, ac consequenter Jahelem ad bellum hoc, et ad occidendum Sisaram excitavit. Ita Hebræi, Serarius et alii.

7. CESSAVERUNT FORTES. — Recentiores vertunt, *cessaverunt villæ*, scilicet rusticorum, ob grassationem hostium desertæ.

DONEC SURGERET DEBBORA, SURGERET MATER IN ISRAEL. — Hinc S. Ambrosius, lib. *De Viduis*, censet Debboram fuisse matrem Barac judicis. « Quem, inquit, quasi mater erudiit, quasi judex præposuit, quasi fortis instituit, quasi prophetes victoriæ certa transmisit. »

Verum dico Debboram hic vocari matrem Israelis ob charitatem maternam, qua quasi mater populum tanquam prophetissa curabat, dirigebat, tutabatur et liberabat, uti mater solet facere filio.

8. NOVA BELLA ELEGIT DOMINUS. — Τὸ *bella* non est in Hebræo. Unde Septuaginta, Theodoretus, Augustinus, Cajetanus, et alii vertunt, *novos deos elegit Israel*, ideoque a Deo traditus fuit Sisaræ. Hebræum enim *Elohim* tam Deum quam Deos significat; est enim plurale. Verum hic non est locus commemorandi deos, ubi Deo vero canitur epinicium. Quare melius et aptius Noster, subaudiens *bella*, vertit, *nova bella elegit Dominus*; quia scilicet ipse per Hebræos paucos et inermes, ut sequitur, plurimas et armatissimas profligavit Sisaræ copias, et quia de cœlo pro eis pugnavit, ut dicitur vers. 20. Denique quia non per viros, sed per imbelles feminas Debboram et Jahelem bellum hoc confecit.

Allegorice Debbora fuit typus B. Mariæ Virginis. *Primo*, quia *Debbora* Hebraice idem est quod *apis*, ita dicta a דבר *dabar*, id est, *verbum, sermo*, eo quod apis continue susurrum quasi sermonem edat, ait Marinus in *Lexico*, *q. d. Apis* est *deboræ*, id est, *eloquens*. Sic B. Virgo edidit nobis Verbum divinum, dum illum in visceribus suis carne humana corporavit peperitque. Rursum ipsa est Debbora, quia edidit illud canticum sanctissimum, sonantissimum, suavissimum : « Magnificat anima mea Dominum, » etc., cui Debbora hoc suo cantico prælusit. Ad hæc ipsa quasi prophetissa assidue eructabat Dei verba et oracula. Hinc licet Hebræi moderni vocent eam Deboram per simplex *b*, Septuaginta tamen et S. Hieronymus vocant eam Debboram per duplex *b*. Dicitur ergo ipsa non Debora (ut quidam volunt), sed Debbora, quasi *debbera*, id est loquens et eructans continuo magnalia Dei, quod præ illa fecit B. Virgo. Virgini Prius.

Insuper *apis* dicitur *Debora* a דברה *dibrah*, id est consuetudo, series, ordo, eo quod ipsa suos favos ordine pulcherrimo, mira arte et industria componat. Quid ergo Ignatius B. Virgine, de qua ait Sapiens, *Prov.* cap. VIII, 23 : « Ab æterno ordinata sum? » Unde tota ejus vita fuit speculum ordinatissimæ virtutis, charitatis omnisque perfectionis, adeoque ipsa, ut ait S. Ambrosius, fuit « norma probitatis, forma virtutis. »

Secundo, apis est castissima, manensque virgo generat suas apiculas. Sic B. Maria est Virgo virginum, quæ proinde non hominem, sed Deum generare meruit. Id de ape tradit Aristoteles, lib. IX *Histor. Animal.* cap. IV, et S. Ambrosius, lib. I *De Virgin.* : « Digna, ait, virginitas quæ apibus comparetur; sic laboriosa, sic pudica, sic continens. Rore pascitur, nescit concubitus, mella componit. »

Tertio, apis est sedula et operaria, conficitque duas res præstantissimas, ceram qua ad lumina in ecclesia ad Deum colendum ufimur, et mel quod est suavissimum et sanissimum. Unde *Debbora*, id est *apis*, alludit ad דבש *debas*, id est *mel*, quod producit. Quocirca *Proverb.* VI, 6 et seq. : « Vade ad formicam, o piger, » etc. Septuaginta addunt, *vade ad apim, et disce quomodo operaria est, operationem quoque quam venerabilem facit*. Vide ibi dicta. Sic B. Virgo operatur assidue opera religionis, pietatis, charitatis; unde ab Ecclesia vocatur et invocatur « mater misericordiæ, mater pulchræ dilectionis, vita, spes et dulcedo nostra. » Nam, ut ait S. Bernardus, nullus, quantumvis miser vel sceleratus, ad eam confugit, qui non dulcissima ejus misericordiæ viscera experiatur.

Quarto, Debbora fuit prophetissa. Sic et beata Virgo Prophetarum est regina. Rursum Debbora peperit victoriam de Sisara : B. Virgo de diabolo. Unde Isaias, cap. VIII, 3 : « Accessi, ait, ad prophetissam (B. Virginem), et concepit et peperit filium. Et dixit Dominus ad me : Voca nomen ejus, accelera, spolia detrahe, festina prædari. »

Quinto, Debbora jussit Barac ire in montem Thabor, id est puritatis, ibique confligendo pros

travit Sisaræ copias; sic B. Virgo genuit Christum, qui quasi Barac, id est, fulmen in eodem monte Thabor transfiguratus devicit impietatem et impuritatem, hominesque docuit non carnales et spurcas, sed puras et cœlestes voluptates ambire.

Sexto, Barac noluit ire ad conflictum nisi comite, imo duce Debbora. Unde S. Alcimus, lib. VI, cap. XV, ait ipsam castra præivisse; sic enim de ea canit :

Et memori nunc mente tenes, ut Debbora quondam
Duceret instructas post fortia classica turmas,
Et mulier sumpto præcederet agmina signo,
Mirantes hortata viros : quos ipsa ferocem
Exemplo verboque monens accendit in hostem.
Quas postquam ducens Princeps animosa catervas
Impulit accendens vegetata furoribus arma,
Barbaricæ cecidere manus.

Sic B. Virgo quasi Virginum, Apostolorum, Martyrum Sanctorumque omnium antesignana omnes præit, verboque et exemplo hortatur ad generose cum carne, mundo et dæmone certandum. Quare illa longe præstantior est *Victorina*, sive *Victoria*, quæ olim mater castrorum dicebatur, ut ait Trebellius Pollio, lib. *De triginta Tyrannis*. Hæc sunt nova bella quæ elegit Dominus.

Septimo, Debbora fuit missa ad curandum legis Doctores, uti ex Chaldæo audiemus vers. 9. Sic B. Virgo est patrona, imo doctrix Apostolorum et Doctorum omnium.

PORTAS HOSTIUM IPSE SUBVERTIT. — « Portas, » id est, omne robur, hoc enim solet esse in portis. Hebraice est אז לחם שעירים *az lacham scearim*, id est, *tunc comedit* vel *devoravit*. Septuaginta vertunt, *tunc pugnaverunt civitates Principum*, quia *lacham* significat devorare et pugnare; sicut enim os devorat panem, sic gladius devorat hominem. Rursum Septuaginta τὸ *scearim* acceperunt, ut τὸ *sce* sit relativum significans, *qui*, deinde *arim* significet urbes, *q. d. pugnarunt qui erant urbium*, scilicet Principes. Porro S. Augustinus, *Quæst.* XXX, et Theodoretus ex alia versione Septuaginta legunt, *elegerunt deos novos ut panem hordeaceum*, id est deteriorem; hordeum enim deterius est tritico : sic Dii novi deteriores sunt Deo vero; quia *lachem* quoque est nomen significans panem, et si pro *scearim* aliis punctis legas *seorim*, significat hordeum. Unde *lachem seorim* significat *panem hordei* sive hordeaceum.

CLYPEUS ET HASTA SI APPARUERINT IN QUADRAGINTA MILLIBUS ISRAEL. « Si » id est *non*, *q. d.* Non erant in quadraginta millibus, id est in universo (numerus enim certus ponitur pro incerto) exercitu Israel clypei et hastæ, sed fundis, fustibus, vomeribus (ut Samgar), ligonibus armati, cæteraque inermes Israelitæ, hostes armatissimos Deo duce profligarunt. Nimirum Chananæi æque ac Philisthæi astute eripuerant Hebræorum arma, imo curabant ut non esset faber ferrarius in Israel qui ea fabricare posset, ut patet I *Reg.* XIII, 19. Porro Septuaginta hic uti et in seqq., variant et sunt corrupti; habent enim contrarium delendo τὸ *si*, sed illud restituerunt Romani in correct. Septuaginta.

9. COR MEUM DILIGIT PRINCIPES (Hebraice חוקקי *chokeke*, id est Principes, Legislatores, Doctores, Scribas) ISRAEL (quia eum regunt docentque legem Dei, præsertim eos qui, ut sequitur), PROPRIA VOLUNTATE OBTULISTIS VOS DISCRIMINI (ideoque jam triumphantes), BENEDICITE DOMINO. — Disce hic pro Deo nullum detrectare periculum, cum ipse ad illud vocat : nam, ut ait S. Leo, « juste instat præcepto, qui prævenit auxilio; » tunc enim Deus tacite spondet felicem exitum et victoriam, si periculum ultro et generose capessamus. Porro Chaldæus more suo paraphrastice hæc accipit de Doctoribus et Scribis : « Dixit, ait, Debbora in prophetia : Ego missa sum ad laudandum Scribas Israel, qui, quando fuit tribulatio illa, non cessarunt ab interpretanda lege, et sic pulchrum illis, quod sedentes in domo congregationis in capita aperto, et docentes populum verba legis, et benedicentes et confitentes populum. »

10. QUI ASCENDITIS SUPER NITENTES ASINOS, ET SEDETIS IN JUDICIO, ET AMBULATIS IN VIA, LOQUIMINI. — Est periphrasis virorum honoratorum, et magistratuum et judicum. Illi enim apud Judæos vehebantur asinis vice equorum, ut patet cap. X, vers. 4, tum quia Deus eis vetuerat copiam equorum, tum quia asini ibidem sunt fortes, eximii et *nitentes*, Hebraice צחורות *tsechorot*, ἐπιλάμπουσιν, id est *fulgentes*. Sensus est, *q. d.* Vos, o primores et judices, æque ac plebeii, qui per vias Israelis olim periculosas, nunc securas inceditis, loquimini magnalia Dei, quæ ipse nobis exhibuit in hoc prælio.

Tropologice Origenes, ascendit super asinam, qui corporis sui motus et desideria freno rationis moderatur, ut veniant sub jugum verbi Dei; tuncque asina, id est, caro refulgere dicitur, cum castitatis et pudicitiæ splendore fuerit decorata.

11. UBI COLLISI SUNT CURSUS (nongenti falcati Sisaræ), ET HOSTIUM SUFFOCATUS EST EXERCITUS (in torrente Cison. Clare vertit Interpres Hebræa quæ obscura sunt, et ad verbum sic habent, *a voce sagittantium inter haurientes aquas*, cum scilicet Sisariani sagittarii præcipitati in aquas Cison eas hauserunt et ab eis hausti suffocatique sunt. Ita Arias, Cajetanus, Vatablus et alii), IBI NARRANTUR JUSTITIÆ (id est, justa vindicta, quam Deus sumpsit de tyranno Sisara) ET CLEMENTIA IN FORTES ISRAEL. — Quibus victoriam de eo dedit.

TUNC DESCENDIT POPULUS DOMINI AD PORTAS, ET OBTINUIT PRINCIPATUM, — quasi dicas : Quando occisus est Sisara, Israel obtinuit portas et urbes hostium.

12. SURGE. — Hebraice עורי *uri*, id est, *expergiscere*, evigila, Barac, et apprehende captivos quos in prælio cepisti, eosque et eorum spolia diripe, et inter commilitones distribue. Tu, inquam, o Barac.

FILII ABINOEM. — *Abinoem*, Hebraice idem est quod *pater decoris* vel *pulchritudinis*, aut *pater meus pulchritudo vel decor*, aut *pater meus delectatio vel jucunditas*. *Noam* enim est decor, pulchritudo, delectatio, jucunditas. Hujus ergo filius fuit victor et triumphator Barac.

13. SALVATÆ SUNT RELIQUIÆ POPULI. DOMINUS IN FORTIBUS (cum fortibus, vel fortes Israelitas) DIMICAVIT. — Hebræa nervosius ad verbum sic habent, *tunc dominabitur reliquus*, vel *residuus illustribus populi*, *Dominus dominabitur mihi in fortibus*.

14. EX EPHRAIM DELEVIT EOS IN AMALEC, ET POST EUM EX BENJAMIN IN POPULOS TUOS, O AMALEC. — Hebraice, *de Ephraim radix eorum in Amalec post te Benjamin in populis tuis*. Sed Noster melius pro שרשם *schoresam*, id est *radix eorum*, quæ nullum hic habet sensum, alio puncto legit *scoresem*, id est *eradicavit*, sive *delevit eos*. Nam et Septuaginta vertunt ἐξερρίζωσεν, id est *eradicavit*. Rursum Noster subaudit τὸ *o Amalech*, ex eo quod præcessit ac pro אחריך *acharecha*, id est *post te*; legit אחריו *acharau*, id est *post eum*.

Sensus hic est difficilis et obscurus ob historiæ tum peractæ ignorantiam, ac ob phrasis et styli poetici involutam obscuritatem.

Primo, communiter exponunt de bello, quo Josue prostravit Amalec, *Exodi* XVII, *q. d.* Josue qui erat ex tribu Ephraim prostravit Amalecitas, et futuro tempore surget alius dux ex tribu Benjamin, puta Saul, qui amplius populos tuos affliget, o Amalec. Vide historiam I *Reg.* XV. Ita Chaldæus, Rabbini, Hugo de S. Victore, Abulensis, Lyranus, Dionysius, Cajetanus, Arias, Vatablus et alii. Verum quid Josue facit ad Barac, et Amalec ad Sisaram, de quo hic episticum canitur?

Secundo, ergo magis apposite, *q. d.* Barac cum suis fugientes Sisaræ copias ex monte Thabor, persecutas est usque ad tribum Ephraim, et ei vicinam Benjamin; quare id videntes Ephraimitæ, et post eos Benjaminitæ, junxerunt se Barac, et Sisarianos cum eo persecuti sunt usque ad ultimos Judææ fines, imo usque ad Amalec illis contiguum, itaque plane omnes ceciderunt et deleverunt, ut nemo superesset.

Tertio et plane, *q. d.* Amalecitæ quasi veteres Judæorum hostes, audientes Sisaram tantis copiis Judæos invadere, decreverunt ei mittere suppetias; quod intelligentes Ephraimitæ, et Benjaminitæ eis vicini, eos invaserunt et trucidarunt. Hoc exigere videtur τὸ *in Amalec*, et τὸ *in populos tuos, o Amalec*.

Porro Septuaginta hic variant : Complutensia enim et Regii Codices habent, *ex Ephraim ulti sunt eos in valle* (pro *Amalec* enim videntur legisse עמק *emec*, id est, *valle*) *frater tuus* (pro אחריך *acharecha*, id est, *post te*, legerunt אחיך *achicha*, id est, *frater tuus*) *Benjamin in populis tuis*. Verum Codices Romæ emendati habent ut Vulgatus : *Ex Ephraim eradicavit eos in Amalec, post te Benjamin*

DE MACHIR PRINCIPES DESCENDERUNT. — Machir fuit filius unicus Manasse. Sensus ergo est, *q. d.* Manassensium priores cum suis popularibus vicini monti Thabor, audientes in eo a sociis confligi contra Sisaram, accurrerunt, eisque opem tulerunt. Laudat enim hic Manassenses, Zabulonitas et Issacharianos, quod Nephtalitis opem contra Sisaram animose tulerint, cum id Rubenitæ, Galaditæ et Gaditæ sibi metuentes facere detrectarent, quos proinde carpit et perstringit.

Septuaginta pro *principes* vertunt, *perscrutantes*, quod Procopius sic explicat, *q. d.* Manassenses fugientes Sisarianos, seseque in speluncis et cavernis abscondentes perscrutati sunt, eosque extraxerunt et mactarunt.

ET DE ZABULON (repete, *principes descenderunt*) QUI EXERCITUM DUCERENT AD BELLANDUM — cum Barac contra Sisaram. Septuaginta vertunt, *et de Zabulon potentes in sceptro scribas*, Hebræa *trahentes in virga* vel *sceptro*, per quos significantur magistratus, primores et principes. Alii intelligunt Scribas et Doctores, quasi tantus fuerit fervor concurrentium ad bellum, ut etiam Doctores suos calamos et stylos scriptorios in arma et gladios commutarint, et ad prælium descenderint.

15. DUCES ISSACHAR FUERE CUM DEBBORA, ET BARAC VESTIGIA SUNT SECUTI. — Laudantur Issachariani, quod cum Barac et Debbora aleam prælii tam ardui et formidolosi generose subierint.

QUI (Barac) QUASI IN PRÆCEPS AC BARATHRUM SE DISCRIMINI DEDIT. — Videbatur enim cum paucis et inermibus ruere in innumeras et armatissimas Sisaræ copias, quasi in certum exitium, sed Deus ejus fidem et fortitudinem remuneratus, exitium vertit in triumphum. Hebraice, *in vallem missus cum fortibus suis*; Septuaginta, *in valle misit peditis suos, q. d.* Barac dans se suosque prælii periculo, se cum eis videbatur præcipitare in vallem, et profundam exitii sepulcrique fossam.

DIVISO CONTRA SE RUBEN, MAGNANIMORUM REPERTA EST CONTENTIO. — Hebraice, *in divisionibus Ruben magnorum* vel *magnæ cogitationes cordis*; Vatablus, *discrepationes cordis*. Videtur laudari Ruben, ait Serarius, quod gregum bonorumque suorum omissa cura, bello interfuerit. Verum alii passim censent vituperari hic Rubenitas, quod studiis propriis et commodis vacantes inter se divisi fuerint; nec consentientes in illo bello, sed inter ovium suarum balatus et caulas desidere maluerint : vel quod belli eventum expectarint, ut, si vinceret Sisara, ei dicerent : Tui sumus; sin vinceret Barac, ei se jungerent, ait Chaldæus. Sensus ergo est, *q. d.* Cum Rubenitæ inter se disceptant an bello Barac socios se jungere velint, an vero domi se continere, ac proinde nullas Baraco suppetias mittunt magnanimi illi milites, qui se Baraco ad discrimen socios obtulerunt, id videntes mirati sunt, ac inter se disceptarunt, dixeruntque : Cur Rubenitæ domi se continent? cur nobis auxiliares copias non mittunt? cur periculum commune, quod

nos subimus, ipsi detrectant? Id magis patebit ex versu sequenti, *q. d.*, Rubenitæ ob suam desidiam facti sunt fabula et probrum Nephtalitis militibus et victoribus.

16. QUARE HABITAS INTER DUOS TERMINOS, UT AUDIAS SIBILOS GREGUM? — *q. d.* Cur, o Ruben, habitas et desides in terra tua, quæ sita est inter duos terminos, id est inter Moab et Chanaan eis Jordanem? vel potius, ut Chaldæus : Quare, o Ruben, tam mecum quam cum Sisara pacem habere voluisti, ac ut vulgo dicitur, cur inter duas aquas natas, ut audias sibilos gregum, *q. d.* Mavis greges tuos pascere, eorumque balatus et pastorum sibilos audire, quam buccinæ mœ sonitum : mavis quietem prædii, quam laborem et discrimen prælii. Culpat ergo eorum inertiam, timorem et pusillanimitatem, quod maluerint vacare rusticationi quam prœliationi.

DIVISO CONTRA SE RUBEN, MAGNANIMORUM REPERTA EST CONTENTIO, — jam explicata vers. 15. Repetitur hoc hemistichium velut carmen intercalare, ad elegantiam, mutata una duntaxat littera; nam vers. 15, habetur חקקי לב *chieke leb*, id est cogitationes, vel disceptationes cordis; hic vero dicitur חקרי לב *chicre leb*, id est investigationes vel perscrutationes cordis. Sed eodem redit sensus.

17. GALAAD TRANS JORDANEM QUIESCEBAT, ET DAN VACABAT NAVIBUS, ASER HABITABAT IN LITTORE MARIS. — Taxantur Galaaditæ, Danitæ et Aseritæ, quod sua privata commoda sectantes in terra sua desidere maluerint, in eaque quiete vacare agriculturæ, navigationi et mercimoniis, quam communi belli periculum pro patria contra Sisaram subire; ignavia enim hæc erat non ferenda.

18. ZABULON VERO ET NEPHTALI OBTULERUNT ANIMAS (vitas) SUAS MORTI (mortis periculo) IN REGIONE MEROME, — quæ adjacet monti Thabor, ubi commissum est prœlium contra Sisaram. Ita Adrichomius. Septuaginta appellative accipiunt τὸ *Merome*, verruntque *super altitudines agri* : quia scilicet in alta lataque planitie montis Thabor gestum est hoc bellum.

19. VENERUNT REGES (reguli et principes confœderati Sisaræ et Jabin regi Asor) ET PUGNAVERUNT : PUGNAVERUNT REGES CHANAAN IN THANACH JUXTA AQUAS MAGEDDO. — Hæc enim loca vicina sunt Tha... , sive loco prœlii.

20. DE CŒLO DIMICATUM EST CONTRA EOS : STELLÆ MANENTES IN ORDINE ET CURSU SUO, ADVERSUS SISARAM PUGNAVERUNT. — Rupertus, Glossa, Vatablus et alii per stellas accipiunt Angelos, quasi hæc poetice dicantur, nilque aliud significent, quam quod Deo et Angelis pro Hebræis pugnante etiam stellæ Deo obedientes et lucentes cum eo et pro eo pugnasse videantur. Sic et Franciscus Valesius, *Sacræ Philos.* cap. XXXI, per stellas accipit Angelos, quorum cursus dicitur assidua illa et continens operatio, qua homines custodiunt et gubernant. Sic *Apocal.* XII, 4, dicitur draco cauda sua traxisse tertiam partem stellarum, id est Angelorum, et misisse eas in terram. Planius accipias ipsas stellas, sed a suis Angelis motas, impulsas et directas. Sensus est, *q. d.* Stellæ e cœlis pro Hebræis contra Sisarianos pugnaverunt, ejaculando in eos grandinem, ventos, procellas, fulgetra, tonitrua, ignes, et stellas cadentes, quæ eos perculerunt et interemerunt, uti contigit Josue contra Chananæos pugnanti, cap. X, vers. 11. Angeli enim per stellas in nubes per se congregatas et rite dispositas more suo influentes, causarunt procellas et fulmina, quæ Angeli ita direxerunt, ut non in Hebræos, sed in Sisarianos ferrentur. Philo Biblicus ait Deum, orante Debbora, præcepisse astris : « Descendite, astra, et incendite inimicos meos, ut sciant virtutem meam. Et descenderunt astra, et expugnaverunt castra eorum. » Et anterius : « Cum, ait, Debbora et Barac iverunt ad prœliandum cum hostibus, Deus conturbavit motum stellarum suarum, et dixit ad eas : Festinate et ite, et conturbate brachia hostium, et conterite virtutem cordis eorum, quoniam veni ut dominetur populus meus : et profecta sunt astra sicut præceptum erat eis, et incenderunt inimicos eorum. » Intellige astra non descendisse de cœlo motu locali, sed virtute et efficientia sua, quia scilicet e cœlis ignes et fulgura vibrarunt in Sisarianos.

Pulchre hic alludit nomen Ducis. Barac enim Hebraice fulgur significat : fulmine ergo Barac Deus fulminans subministrabat sua fulmina. Sic Mars a Poetis dicitur fulminare, et Ptolomæus vocatus est Ceraunus, id est fulmineus. Consentit Josephus, lib. V, cap. VI : « Commissa, ait, pugna vehemens imber mixtus grandine supervenit, quem ventus in adversos Chananæorum vultus inferens, et prospectum adimens, inutiles eorum jaculatores et funditores reddidit, atque etiam scrutati manibus rigentibus præ frigore gladios vix retinebant. »

Sic de Clodoveo multa reperies similia apud Gregorium Turonicum, lib. II *Histor. Franc.* XXX. Honorii exercitum divino miraculo victoriam incredibilem, de Gothis retulisse scribit S. Augustinus, lib. V *De Civitate Dei*, cap. XXIII. Ariulphum ducem S. Sabinus martyr prope Spoletum suo clypeo munivit et in bello protexit, ait Paulus Diaconus, lib. IV, cap. XVII. Robertus monachus, lib. VI et VII *De Bello sacro*, refert sæpe S. Gregorium, Mauritium et Demetrium visos sub nostris castris militasse. S. Georgius Aragonensibus in bello Ostensi maximum Agarenorum exercitum prostravit, ut narrat Carbonellus, lib. I, et in bello Valentino sæpe nostris auxilium tulit. S. Jacobus Apostolus Hispaniarum patronus Ramiro regi Legionis, prope victo atque prostrato ejus exercitu, in colle, qui Clailinus nominatur, Hispanice *clavijo*, apparuit, et victoriam pollicitus est, quam postero die a Mauris obtinuit, ut constat ex Regio privilegio ejusdem Ramiri, 9 Kalendarum junii, era 972; et refert Calixtus II, lib. *De Miraculis D. Jacobi*, et Vincentius Bellovacensis, lib. XXVII *Speculi historialis*, cap. XXXI. Plura vide apud Thomam Bozium, tom. II *De Signis Ecclesiæ*, lib. XVII, signo 79.

STELLÆ MANENTES IN ORDINE ET CURSU SUO, ADVERSUS SISARAM PUGNAVERUNT, — *q. d.* Stellæ, quæ imperante Josue cum sole et luna steterunt immotæ, ut ad exitum Israelitarum victoria perduceretur, nunc juverunt Barac cursu non intermisso.

At quomodo pugnaverunt contra Sisaram? Respondet Rabbi Salomon, stellas de cœlo incanduisse, lutumque itinerum ita calefecisse, ut ungulæ equorum Sisaræ, nimio calore deciderent solutæ, quo ille incommodo affectus pugnare haud potuit.

Secundo, Rabbi David Kimchi ait stellas ita calefecisse milites Sisaræ, ut cum refrigerari vellent in torrente Cison, in eo perierint; quod significari putat illis verbis : « Torrens Cison traxit cadavera eorum. »

Tertio, Abulensis putat stellas manentes in ordine suo propterea dici contra Sisaram pugnare, quia forte sidera videbantur inflammata cadere super Sisaræ exercitum, cometis nimirum et fulguribus in eum jactatis. Sic enim et currus turbati in præruptа ferebantur, et militibus de cœlo tactis mors Chananæorum oculis obversabat. Hebræis nullo interim læsis detrimento.

Quarto, plene et germane, *q. d.* « Stellæ manentes in ordine suo, » Hebraice *in semitis suis*; Vatablus, *e stationibus suis*, hoc est ordinata acie incedentes pugnaverunt contra Sisaram, quia in eum ejusque castra jaculatæ sunt ventos, procellas, fulgetra, quibus ea afflarunt et prostraverunt. Tetigit ergo *manentes in ordine et cursu suo*, significat *primo*, stellas ordinate more suo incessisse, uti incedit acies militum. Nam in Scriptura stellæ vocantur militia sive agies Dei : in acie autem maxime spectatur ordo militum; hic enim, si servatur, vincit; si turbetur, vincitur. *Secundo*, stellas non cominus, sed eminus e cœlo pugnasse contra Sisaram. *Tertio*, Angelos qui ordinem et cursum stellarum moderantur, per eas contra Sisaram certasse. *Quarto*, solem et stellas hic non constitisse, uti consliterunt sub Josue, Soli stationem imperante, cap. X, vers. 12, sed motum suum ordinarium continuasse, itaque produxisse procellas et fulmina, eaque in Sisarianos vibrasse. Ita Lyranus, Cajetanus et alii. *Quinto*, stellas e suis stationibus in cœlo facile perdidisse Sisarianos in terra, quia ex alto facile est perdere hostem infra in valle consistentem. Facilius enim, fortius et certius tela ex alto in imum, quam ex imo in altum jaciuntur. Unde duces præliaturi solent captare locum excelsum, illudque est omen et causa victoriæ : tum quia hostis ex imo in eum magno nisu scandere debet, itaque vires exhaurit, antequam cum antagonistis suis, qui quieti integris sunt viribus, confligat; tum quia efficacius tela ex monte in vallem, quam ex valle in montem vibrantur; tum denique quia ex alto omnes hostium acies, vires, machinationes, etc., conspiciuntur, ut eis occurratur. Addunt Rabbini in *Seder Olam* : « Omnia quæ in cœlis, et quæ in terris sint, pugnasse contra Sisaram, » pro Barac et Hebræis.

21. TORRENS CISON TRAXIT CADAVERA EORUM. — Pro *traxit* Hebraice est גרף *garaph*, id est *volvit, devolvit, convolvit, volutavit*; Septuaginta, *ejecit*; Chaldæus, *fregit*; Vatablus, *scopavit*, id est, instar scopæ everrit. Torrens Cison fluit ad radices montis Thabor, ubi contritus est Sisara : quare milites ejus fugientes per torrentem Cison, eo per Dei providentiam aquis reduntante et tumido hausti mersique sunt, quare torrens devolvit eorum cadavera. Unde Josephus ait Deum tunc ingentem immisisse imbrem, quo utique auctus valde intumuit torrens Cison. Festive R. Eliezer, cap. XLII, narrat voluisse Deum, ut in mari Rubro submersi Ægypti sepelirentur, sed deprecatam hoc terram, quod qui ab aquis interempti essent, ab aquis etiam absorberi deberent; Deum vero dixisse : « O terra, hac vice suscipe istos; alia vice eos qui super te interfecti fuerint projicium in mare. Dicitur enim : Torrens Cison traxit cadavera eorum. » Ethopœia est Rabbinica, qua significatur omnes res etiam inanimas Deo ad nutum morem gerere, omnesque ab illo suaviter et ipsarum naturis convenienter gubernari. Ita Serarius.

TORRENS CADUMIM, TORRENS CISON. — Torren Cadumim idem est cum torrente Cison, ut habet Chaldæus. *Ipse*, inquit, *est torrens Cison*; sed cur dictus est « Cadumim? » *Primo*, Septuaginta in Codice Romano pro *torrens Cadumim*, vertunt, *torren antiquitatum* : קדמים *kedem* enim significat antiquum, priseum, primum, quod Marinus simpliciter explicat, *q. d.* Cison est torrens antiquus; licet enim sit torrens, tamen ab antiquo fluit, nec fluere cessat, ut alii torrentes sæpe siccantur in æstate, et fluere desinunt. Sublimius Chaldæus sic explicat : *Fluvius in quo facta sunt signa et fortitudines Israel ab antiquo*; R. Balbag vero : Dicitur Cison, inquit, Cadumim, id est, antiquus, quod in eo renovatum sit antiquum prodigium maris Rubri; quia sicut Deus illo mersit Pharaonem, sic in Cison mersit copias Sisaræ. Sic et Rupertus, qui censet Cadumim esse mare Rubrum, itaque vocari ob antiquum mersi in eo Pharaonis prodigium.

Optime Arias et Vatablus sic explicant, *q. d.* Ab antiquo, ab olim, ab initio torrens Cison a Deo factus et ordinatus est ad hoc, ut in eo pugnante Barac mergerentur Sisariani.

Secundo, Serarius torrentem *Cadumim* vertit, *torrentem Orientalium* : *kedem* enim Orientem quoque significat. Torrens enim Cison habitur partim versus mare Mediterraneum, quod est ad Occidentem; partim in mar... alilææ, quod est ad

Secundo.

Orientem : quare *Cadumim* hic notare partem hanc Orientalem torrentis, qua mersi fuerè Chananæi.

Tertio, alii *Cadumim*, quod est participium passivum, proprie vertunt *præventorum, præoccupatorum*; ubi scilicet Sisariani ex inopinato aquis præventi et suffocati : קדם *kadem* enim significat prævenire, præoccupare. Omnes hæ expositiones probabiles sunt conjecturæ : nil enim certi hic statui potest. Unde S. Hieronymus in *Locis Hebraicis* : « Cadomi, ait, torrens, juxta quem Debbora bellum gessit. » Addit Adrichomius rivulum quemdam procedentem ex torrente Cison vocari *Cadumim*, sed an ab urbe quapiam ita dictus sit, an aliunde, non explicat.

Allegorice B. Petrus Damianus, *serm.* 40, qui est de S. Cassiano martyre, totum hoc prælium applicans Ecclesiæ, per torrentem Cison accipit Baptismum. « Nam cum catechumenus, inquit, lavacro sacri fontis immergitur, tanquam Sisara cum suo exercitu, sic nequissimus spiritus cum his quæ sibi militant vitiis omnibus necesse est perimatur. »

Porro hujus victoriæ, utpote illustris et cœlestis, subinde fit mentio in Scriptura, ut *Psalm.* LXXXIII, 10 : « Fac illis sicut Madian et Sisaræ, sicut Jabin in torrente Cison, » id est, perde nostros hostes, sicut perdidisti Madianitas per Gedeonem, ac copias Sisaræ ducis et Jabin regis in torrente Cison. Nec enim ipse Sisara periit in Cison, utpote occisus a Jahel, multo minus eo periit Jabin rex, qui prælio non interfuit. Rursum, Elias sacerdotes Baal jussit occidi ad torrentem Cison, III *Reg.* XVIII, 40, idque apposite, ut scilicet ubi Sisariani gentiles mersi fuerant, ibi et Baalitæ idololatræ mergerentur. Hinc *Cison* Hebraice idem est quod *duritia*, vel *induratus*, vel *stipula;* torrens enim hic eos quasi stipulas dure abripuit, eo quod ipsi in suo scelere et idololatria essent obdurati.

CONCULCA, ANIMA MEA, ROBUSTOS. — Poetice hoc ait Debbora, *q. d.* Gaude, exulta, triumpha, o anima mea, quia Deus Sisarianos quantumlibet armatos et robustos cecidit, tibique calcandos subjecit.

Aliqui vertunt, *Calcabas, anima mea, fortiter, q. d.* Torrentem qui mersit Sisarianos, tu, o Debbora, forti siccoque pede calcasti, sicut mare Rubrum quod hausit Pharaonem se dividens, siccum dedit alveum et transitum Hebræis. Favent Septuaginta et Romani qui habent, *conculcavit eum* (torrentem Cison) *anima mea potens.* Ita Serarius. Quod si verum est, novum est et prodigiosum miraculum. Verum Complut. Regii et alii pro *eum* habent *eos*, scilicet milites Sisaræ. Unde et Chaldæus vertit, *ibi conculcavit anima mea occisos eorum in robore.*

Alio prorsus abit Cajetanus, qui vertit : *Anima mea*, id est, populi mei, *diriget fortitudinem*, hoc est in Deo fortitudinem suam locabit.

22. UNGULÆ EQUORUM CECIDERUNT FUGIENTIBUS IMPETU, ET PER PRÆCEPS RUENTIBUS FORTISSIMIS HOSTIUM. — Solent enim ungulæ in vehementi cursu, ex collisione ad saxa, equis ex pedibus excidere. Significatur ergo hac phrasi ingens hostium pavor, indeque impetus in fuga, Septuaginta, Romani vertunt, *quando impediti sunt calcanei equi, festinatione festinaverunt.* Complutensia vero et Regii habent, *tunc abscissa sunt crura equorum hinnitibus potentium illius.*

FORTES EJUS. — Aquila, inquit Procopius, hebraice מדהררת *midaroth, exposuit Deus irruentium, hoc est ungulæ equorum in acie agillimorum inutiles factæ sunt.* Chaldaice, *tunc eductæ sunt ungulæ equorum a fremitu.*

23. MALEDICITE TERRÆ MEROZ, DIXIT ANGELUS DOMINI. — Quæ sit terra « Meroz, » ignoratur. Probabiliter Pagninus in *Nom. Hebr.*, opinatur *Meroz* esse *Merom*, tum quia litteræ pene sunt eædem, tum quia *Josue* cap. XI, vers. 7, ante annos 120 ibi cecidit Jabim regem Azor, antecessorem hujus Jabin, cujus dux Sisara cæsus fuit a Barac. Porro *Merom*, inquit Adrichomius ex S. Hieronymo, lacus est triginta stadiis latus et sexaginta longus, qui inter Cæsaream Philippi et mare Galilææ quasi in medio situs est, quem Jordanis fluvius medius perfluit. Qui quidem lacus tempore resolutionis nivium a Libano monte defluentium valde accrescit ac dilatatur, ac æstivo tempore ex majori parte exsiccatur. Quo fit ut diversi generis herbæ, arbusta et arbores in sylvam eo loci accrescant, quæ leonibus, ursis, pardis, aliisque feris maxime abundat, ac regibus principibusque viris gratam et jucundam præbet venationem.

Maledicuntur ergo hic præ cæteris accolæ lacus Merom, quod suppetias non tulerint Nephtalitis contra Sisaram, sed potius occulte faverint Sisaræ, ideoque per terram *Merom*, id est, excelsa, hic vocatur *Meroz*, id est secretum, quod secreta contra Hebræos cum Sisara consilia agitarint; alioqui enim ob negatas suppetias duntaxat non eis maledixerat Angelus, cum easdem negarint Rubenitæ, Danitæ, Aseritæ, vers. 16, 17, quibus tamen idcirco non maledixit : quocirca maledixit terræ *Merom*, ut fiat terra *Meroz*, id est, macilenta et sterilis (רש *ras* enim maciem significat), utque hoc ipsa voce innuat pro *Merom*, id est, celsitudo vocat eam *Meroz*, id est, maciem et sterilitatem, quam hac maledictione ei induxit, sicut David eamdem imprecatus est montibus Gelboe, ob cæsum in iis Saulem et Jonatham, II *Reg.* cap. I, 21. Unde Septuaginta hic vertunt : *Maledictus omnis inhabitans eam.*

DIXIT ANGELUS DOMINI. — Quæres, quis hic Angelus? *Primo*, Chaldæus censet esse Barac, qui dicitur Angelus, quod a Deo sit missus ad parandam Israeli de Sisara victoriam. *Secundo*, Procopius censet esse Pontificem. Sacerdos enim, præsertim summus, Angelus Domini exercituum est, ut ait Malachias, cap. II. *Tertio*, Cajetanus censet esse Debboram. *Quarto*, plane et genuine Abulensis censet fuisse verum Angelum, scilicet Michaelem, qui bello huic præfuit tanquam Israelis princeps ac protector, *Daniel.* X. Sic et Rupertus. Arias vero censet fuisse Angelum, qui hoc canticum Debboræ suggessit et dictavit : sed hunc verisimile est fuisse eumdem qui bello præfuit, puta S. Michaelem.

QUIA NON VENERUNT IN AUXILIUM DOMINI, — per suos fideles Hebræos pugnantis contra impios Chananæos. Unde explicans subdit : « In adjutorium fortissimorum ejus, » militum Hebræorum. Septuaginta in Codice Regio habent : *Quia non venerunt in auxilium, Dominus auxiliator noster, Dominus in pugnatoribus potens.*

Vers. 24. 24. BENEDICTA INTER MULIERES JAHEL. — Hebraice מנשים *minaascim*, id est, *ex mulieribus*, vel *præ mulieribus Jahel.* Hinc Gabriel Archangelus sumpsit suam salutationem, qua B. Virginem salutavit, *Lucæ* I, dicens : « Ave, gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. » Jahel enim fuit typus B. Virginis, uti dixi cap. IV, 28.

Vers. 25. 25. AQUAM PETENTI (Sisaræ) LAC DEDIT (ad eum somno consopiendum, ut dormientem occideret), ET IN PHIALA PRINCIPUM (hoc est in phiala præclara et præstanti, ex quali bibere solent principes, uti erat Sisara), OBTULIT BUTYRUM, — hoc est lac pingue et spissum; ex hac enim lactis pinguedine agitata coagulatur et fit butyrum. Nec enim Jahel butyrum, sed lac dedit sitienti, potumque petenti Sisaræ. Est catachresis.

Vers. 26. 26. SINISTRAM MANUM MISIT AD CLAVUM, — quasi ad instrumentum in tabernaculo suo obvium. Videtur hic clavus fuisse ferreus; hic enim acutior est, faciliusque incutitur et penetrat usque ad terram. Aliqui tamen censent clavum fuisse ligneum, ut fuerit typus crucis Christi, quæ fuit ex ligno. Verum aptius clavus hic fuit typus, imo idæa clavorum ferreorum, quibus Christus fixus in cruce in eadem confixit Sisaram, id est diabolum, omnes ei vires adimendo, ut superius dixi ex Origene. Audi Rupertum hic, cap. VII : « Clavus tabernaculi ipsum est stigma passionis Christi. Clavum tulit, quæ jussa mortificare membra sua super terram, crucem suam bajulavit, crucifigens carnem suam cum vitiis et concupiscentiis. Hoc tunc valide fit, quando non pro vanitate humanæ laudis, sed pro gloria assumitur Dei afflictio carnis; non, inquam, in ambitione auræ popularis, sed in timore Domini. Idcirco Psalmista postulat : Confige timore tuo carnes meas, » *Psal.* CXVIII.

2. 27. VOLVEBATUR ANTE PEDES EJUS, — non capite, utpote Jahel clavo jam terræ affixerat, sed motitando et agitando pedes et latera, cum expiraret Sisara. Ita Abulensis.

28. ULULABAT MATER EJUS, — Sisaræ. Vatablus : *qulabat*, scilicet, quod Sisara filius more suo ad se triumphans et spoliis onustus non reverteretur. Unde ex hac ejus mora et tarditate suspicans quid sinistri ei contigisse, auguransque ejus sædem (hanc enim ei mens pavida præsagiebat) lamentabatur. Poetice hic inducitur matris lamentum, uti fit in tragœdia, ut tragicus Sisaræ interitus melius repræsentetur.

29. UNA SAPIENTIOR CÆTERIS UXORIBUS EJUS (scilicet Sisaræ) HÆC SOCRUI (matri Sisaræ ejulanti quod Sisara non rediret) VERBA RESPONDIT, — ut ejus dolorem leniret, et suspicionem sinistram in opinionem meliorem converteret, quod scilicet spolia hostium ampla diriperet, ideoque redire tardaret.

31. SIC PEREANT OMNES INIMICI TUI, DOMINE, — uti periit Sisara impius cum omnibus suis, licet plurimis et fortissimis.

QUI AUTEM DILIGUNT TE, SICUT SOL IN ORTU SUO SPLENDET, ITA RUTILENT. — Sol oriens spargit jubar suum aureum, splendoremque suum pulcherrimum et gratissimum, qui sensim usque ad meridiem crescit, et pulchrior fit ac robustior. Sic pariter Israelitæ cæterique diligentes te, o Domine, omni decore, gratia, robore, lætitia, viribus, prosperitate, victoria, felicitate et triumpho resplendeant, iisque semper te benedicente increscant et proficiant, ut nemo eis ausit vel possit resistere, donec iisdem donis plane impleantur et abundent, quod fiet in cœlo cum videbunt Deum deorum in Sion, ac ejus gloriam, omneque bonum participabunt, juxtà illud *Proverb.* IV : « Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectam diem. » Vide ibi dicta.

Pro *in ortu suo*, Hebraice est בגבורתו *bigburatto*, id est, *in virilitate sua*, hoc est *in fortitudine sua.* Ita Chaldæus : *Misericordiæ*, inquit, *ejus* (Dei) *splendescent, sicut exire solet sol in fortitudine sua.* Septuaginta, *ἐν δυνάμει αὐτοῦ*, id est, *in potentatu suo*, cum scilicet sol claro mane exoriens appareat auricomus, ac fortiter suos splendoris radios longe lateque totis quasi viribus ejaculatur, iisque omnes tenebras dispellit, omniaque suis fulgoribus superat et collustrat, ut nil ei obsistere valeat. Hoc est quod ait Malachias, cap. IV, vers. 2 : « Orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ. » Et *Sapient.* III, 7 : « Fulgebunt justi sicut sol. » Et *Eccli.* cap. XXVII, 12 : « Homo sanctus in sapientia manet sicut sol. » Vide quæ illis locis annotavi, æque ac *Isaiæ* XLV, 1, ad illa : « Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro. » Cyrus enim Persice idem est quod sol.

32. QUIEVITQUE TERRA PER QUADRAGINTA ANNOS. — Sub his quadraginta annis continentur viginti anni quibus Jabin oppressit Hebræos, cap. IV, 3. Vide dicta cap. III, vers. 11 et 30. Minus ergo recte Josephus : « Postquam, inquit, solo tenus urbem Asor æquasset (Barac) ducem Israelitarum agit ad annos 40. »

Addit Philo Biblicus in *Antiq.*, Debboram morientem convocasse populum, eique hæc ultima dedisse monita : « Ecce ego moneo vos tanquam

mulier Dei, et illumino vos tanquam ex femineo genere, et obaudite mihi quasi matri vestræ, et intendite verbis meis tanquam morituri et ipsi. Ecce ego proficiscor mori viam totius carnis, quo venietis et vos! tantum cor vestrum dirigite ad Deum Dominum vestrum in tempore vitæ vestræ, quoniam post mortem vestram in his in quibus vivitis, pœnitere non poteritis. Nunc ergo, filii mei, vos obaudite voci meæ, donec habetis tempus vitæ et legis lumen, dirigite vias vestras. Et dum loqueretur Debbora verba hæc, levaverunt omnes populi vocem unanimiter et plorantes dixerunt : Ecce nunc, mater, moreris, et relinquens filios tuos, cui commendas eos? Ora itaque pro nobis, et post recessum tuum erit anima tua memor nostri in sempiternum. »

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hebræos rursus idololatrantes opprimunt Madianitæ; quare pœnitentes Deum invocant, qui liberatorem eis per Angelum designat Gedeonem. Unde Angelus, vers. 18, Deo sacrificat. Mox Gedeon, vers. 23, jussu Dei aram Baal subvertit, ideoque Jerobaal, id est, ultor Baal vocatur : inde, vers. 34, classico milites convocat, ac signum victoriæ a Deo petens accipit rorem in solo vellere, et mox siccitatem in solo vellere. Quintus ergo Israelis Judex fuit Gedeon, cujus acta hic enarrantur.

1. Fecerunt autem filii Israel malum in conspectu Domini, qui tradidit illos in manu Madian septem annis, 2. et oppressi sunt valde ab eis. Feceruntque sibi antra et speluncas in montibus, et munitissima ad repugnandum loca. 3. Cumque sevisset Israel, ascendebat Madian et Amalec, cæterique Orientalium nationum : 4. et apud eos figentes tentoria, sicut erant in herbis, cuncta vastabant usque ad introitum Gazæ : nihilque omnino ad vitam pertinens relinquebant in Israel, non oves, non boves, non asinos. 5. Ipsi enim et universi greges eorum veniebant cum tabernaculis suis, et instar locustarum universa complebant, innumera multitudo hominum et camelorum, quidquid tetigerant devastantes. 6. Humiliatusque est Israel valde in conspectu Madian. 7. Et clamavit ad Dominum, postulans auxilium contra Madianitas. 8. Qui misit ad eos virum prophetam, et locutus est : Hæc dicit Dominus Deus Israel : Ego vos feci conscendere de Ægypto, et eduxi vos de domo servitutis, 9. et liberavi de manu Ægyptiorum, et omnium inimicorum, qui affligebant vos, ejecique eos ad introitum vestrum, et tradidi vobis terram eorum, 10. et dixi : Ego Dominus Deus vester, ne timeatis deos Amorrhæorum, in quorum terra habitatis, et noluistis audire vocem eam. 11. Venit autem Angelus Domini, et sedit sub quercu quæ erat in Ephra, et pertinet ad Joas patrem familiæ Ezri. Cumque Gedeon filius ejus excuteret atque purgaret frumenta in torculari, ut fugeret Madian, 12. apparuit ei Angelus Domini, et ait : Dominus cum, virorum fortissime. 13. Dixitque ei Gedeon : Obsecro, mi domine, si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos hæc omnia? ubi sunt mirabilia ejus, quæ narraverunt patres nostri, atque dixerunt : De Ægypto eduxit nos Dominus? Nunc autem dereliquit nos Dominus, et tradidit in manu Madian. 14. Respexitque ad eum Dominus, et ait : Vade in hac fortitudine tua, et liberabis Israel de manu Madian; scito quod miserim te. 15. Qui respondens ait : Obsecro, mi domine, in quo liberabo Israel; ecce familia mea infima est in Manasse, et ego minimus in domo patris mei. 16. Dixitque ei Dominus : Ego ero tecum, et percuties Madian quasi unum virum. 17. Et ille : Si inveni, inquit, gratiam coram te, da mihi signum quod tu sis qui loqueris ad me. 18. Nec recedas hinc donec revertar ad te, portans sacrificium, et offerens tibi. Qui respondit : Ego præstolabor adventum tuum. 19. Ingressus est itaque Gedeon et coxit hædum, et de farinæ modio azymos panes : carnesque ponens in canistro, et jus carnium mittens in ollam, tulit omnia sub quercu, et obtulit ei. 20. Cui dixit Angelus Domini : Tolle carnes et azymos panes, et pone supra petram illam, et jus desuper

funde. Cumque fecisset ita, 21. extendit Angelus Domini summitatem virgæ quam tenebat in manu, et tetigit carnes et panes azymos, ascenditque ignis de petra, et carnes azymosque panes consumpsit : Angelus autem Domini evanuit ex oculis ejus. 22. Videnque Gedeon quod esset Angelus Domini, ait : Heu, mi Domine Deus, quia vidi Angelum Domini facie ad faciem. 23. Dixitque ei Dominus : Pax tecum; ne timeas, non morieris. 24. Ædificavit ergo ibi Gedeon altare Domino, vocavitque illud, Domini pax, usque in præsentem diem. Cumque adhuc esset in Ephra, quæ est familiæ Ezri, 25. nocte illa dixit Dominus ad eum : Tolle taurum patris tui, et alterum taurum annorum septem, destruesque aram Baal, quæ est patris tui : et nemus quod circa aram est succide : 26. et ædificabis altare Domino Deo tuo in summitate petræ hujus, super quam ante sacrificium posuisti : tollesque taurum secundum, et offeres holocaustum super struem lignorum quæ de nemore succideris. 27. Assumptis ergo Gedeon decem viris de servis suis, fecit sicut præceperat ei Dominus. Timens autem domum patris sui, et homines illius civitatis, per diem noluit id facere, sed omnia nocte complevit. 28. Cumque surrexissent viri oppidi ejus mane, viderunt destructam aram Baal, lucumque succisum, et taurum alterum impositum super altare, quod tunc ædificatum erat. 29. Dixeruntque ad invicem : Quis hoc fecit? Cumque perquirerent auctorem facti, dictum est : Gedeon filius Joas fecit hæc omnia. 30. Et dixerunt ad Joas : Produc filium tuum huc, ut moriatur; quia destruxit aram Baal, et succidit nemus. 31. Quibus ille respondit : Numquid ultores estis Baal, ut pugnetis pro eo? qui adversarius est ejus moriatur, antequam lux crastina veniat : Si Deus est, vindicet se de eo, qui suffodit aram ejus. 32. Ex illo die vocatus est Gedeon, Jerobaal, eo quod dixisset Joas : Ulciscatur se de eo Baal, qui suffodit aram ejus. 33. Igitur omnis Madian, et Amalec, et Orientales populi congregati sunt simul : et transeuntes Jordanem, castrametati sunt in valle Jezrael. 34. Spiritus autem Domini induit Gedeon, qui clangens buccina convocavit domum Abiezer, ut sequeretur se. 35. Misitque nuntios in universum Manassen, qui et ipse secutus est eum : et alios nuntios in Aser et Zabulon et Nephtali, qui occurrerunt ei. 36. Dixitque Gedeon ad Deum : Si salvum facis per manum meam Israel, sicut locutus es, 37. ponam hoc vellus lanæ in area : si ros in solo vellere fuerit, et in omni terra siccitas, sciam quod per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israel. 38. Factumque est ita. Et de nocte consurgens, expresso vellere, concham rore implevit. 39. Dixitque rursus ad Deum : Ne irascatur furor tuus contra me, si adhuc semel tentavero, signum quærens in vellere. Oro ut solum vellus siccum sit, et omnis terra rore madens. 40. Fecitque Deus nocte illa ut postulaverat; et fuit siccitas in solo vellere, et ros in omni terra.

VERS. 1. 1. FECERUNT AUTEM FILII ISRAEL MALUM IN CONSPECTU DOMINI, — id est, fecerunt idola et idololatriam. Hæc enim antonomastice dicitur malum, quia summum scelus, idque in conspectu Domini, quia Deum videnti et indignanti opponit alium Deum, eumque creatum, et sæpe factum fictumque ex lapide, auro, argento vel ære, quæ summa Dei injuria, vilipensio et offensio.

QUI (ratus, justeque tantum scelus, tantamque sui injuriam vindicans) TRADIDIT ILLOS IN MANU MADIAN SEPTEM ANNIS. — Madian fuit filius Abrahæ ex Cethura, *Gen.* XXV, 2, a quo ejus posteri dicti sunt Madianitæ, et regio eorum Madian. Duplex autem fuit regio Madian, una juxta mare Rubrum ad Orientem, in quam fugit Moses pavitque oves Jethro, ejusque filiam Sephoram uxorem duxit, *Exodi* II; altera vicina Moabitis Arnon et Areopolim, cujus incolæ masculi omnes occisi et excisi sunt a Mose, *Numer.* cap. XXXI vers. 7, eo quod Hebræos provocassent ad fornicationem et cultum Beelphegor, *Numer.* cap. XXV Verum plures tunc hanc cladem metuentes, jam ante ad vicinas gentes profugerunt, qui postea in Madian redierunt : alii quoque vicini, in Madian incolis hac cæde vacuatam, ingressi, illam occuparunt, qui pariter dicti sunt Madianitæ. Hi ergo Judæam invaserunt, et a Gedeone cæsi sunt. Porro Madian abundat camelis, ovibus et capris. Philo Biblicus asserit Israelitas traditos Madianitis sub Gedeone, eo quod incitati a quodam Madianita mago, cui nomen Aod, consuluissent Deos Madianitarum.

-Hebraice *Midian*, idem est quod liti contentio, ait Pagninus, quia